



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quid sit cognitio veritatis, 26

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

## C A P V T XXVI.

*Quid sit cognitio veritatis.*

1. **Q**uid est cognitio veritatis? Primo, cognoscere teipsum; & quod esse debes, esse studeas; quod autem corrigendum est, corrigas. Deinde, cognoscere & amare creatorem tuum. Hoc enim est totum hominis bonum. Vide ergo, quam ineffabilis est divinæ charitatis erga nos dilectio. De nihilo nos creavit, & quicquid habemus donavit. Sed quia plus dileximus datum quam datorem, creaturam quam creatorem, cecidimus in laqueum diaboli, & facti sumus ejus servi. Deus vero misericordia motus, misit Filium suum quo redimeret servos; misit etiam Spiritum sanctum, quo servos adoptaret in filios: Filium dedit in precium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium amoris, se denique totum servat in hæreditatem adoptionis.

2. Ita Deus ut piissimus & misericordissimus, præ desiderio vel amore hominis, non solum sua, verum etiam & seipsum impendit: ut hominem recuperaret, non tam sibi, quam homini ipsi. Ut homines ex Deo nascerentur, primo ex ipso natus est Deus. Quis est tam durus, quem non emolliat amor Dei, sic hominem præveniens; tam inquam vehemens amor, quod homo propter hominem dignatus est fieri? Quis potest odisse hominem, cujus naturam & similitudinem videt in humanitate Dei? Revera qui odit illum, odit Deum; & ita perdit, quicquid facit.

3. Deus namque propter hominem factus est homo, ut esset redemptor qui est & creator, ut de suo redimeretur homo. Et ut familiarius diligeretur ab homine, Deus in similitudine hominis apparuit; & ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, & reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, & oculus corporis in ejus humanitate; ut, sive ingrediens, sive egrediens, in ipso pasqua inveniret natura humana condita ab ipso.

### C A P V T XXVII.

*Quid in nobis operetur missio Spiritus sancti.*

1. **S**alvator namque noster natus est nobis, crucifixus & mortuus est pro nobis, ut morte sua mortem nostram destrueret. Et quia botrus carnis portatus fuerat ad torcular crucis, & expressione facta fluere coeperat mustum divinitatis; missus est Spiritus sanctus, quo vasa cordium prepararentur, & vinum novum in utres novos poneretur: primum ut corda mundarentur, ne infusum pollueretur: & postea ligarentur, ne infusum amitteretur. Mundarentur à gaudio iniquitatis, ligarentur contra gaudium vanitatis. Non enim quod bonum est venire potuit, nisi prius recederet, quod malum est. Gaudium iniquitatis polluit, & gaudium vanitatis effundit. Gaudium iniquitatis reddit vas sordidum, & gaudium vanitatis facit rimosum.

2. Gaudium iniquitatis est, cum peccatum diligitur: & gaudium vanitatis est, cum transito-